Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2269

Quelle:
Copyright:

Matutino et duplicibus *Veſperis* per anni circulum celebrandae, retentis plurimis ex *Miſſali* et *Breviario Romano*, eliminato tamen *Canone*, et interſperſis *Canticis* vernaculis. Ad calcem nominantur, qui hunc Ordinem congeſſere: *Georgius Princeps Anhaltinus Præpoſitus Magd. et Miſnenſis. Johan. Bugenhagen Pomer. D. Joan. Pfeffinger D. Joan. Forſterus D. Georgius Maior D. Philippus Melanthon.* Ex voce *Sequuntur* colligo, hic adlata Partem duntaxat eſſe prolixiorum *Agendorum*, id, quod *Cod.* DXIV. conficitur. *foll.* 51.

VII. Codicilli *duo* anni 1556. ad *Johannem de Laſco* tunc Coetum Peregrinorum, quos partim ſecum ex *Anglia* adduxerat, *Francofurti ad Maenum* procurantem pertinentes. *Primo* opem et refugium pro ſe ſuisque apud *Chriſtophorum* Ducem *Würtembergicum* quaerit, Adverſariorum calumniis reſpondet, de ſtatu Fratrum in *Polonia* edocet, Colloquiumque amicum cum Theologis *Auguſtanis* offert. *Secundus* eſt Relatio Duci facta de *Colloquio* 22. *Maji* inter *Joh. a Laſco* et *Joh. Brentium* praeſentibus *Balth. de Gültlingen* et *J. Theoderico de Plieming* de Coena Domini habito, qua enarrantur argumenta *Laſco* propoſita et ejus reſponſa. Ad quae nomine Ducis ita edictum: *Ipſum a Laſco in Articulo de Caena Domini a Doctrina Auguſtanæ Confeſſionis omnino diſſentire, atque in hac ſua diuerſa opinione perſeuerare. Nullam poſſe C. S. Illuſtriſs. proponere rationem, qua in tam diuerſorum dogmatum uarietate poſſit inueniri concordia. Nihil uero magis optare C. S. quam quod D. a Laſco cum ſuis peregrinis ad communionem tam dogmatum, quam rituum in Eccleſiis Auguſtanę Confeſſionis hactenus obſeruatorum accederet, Hanc unicam, et quaſi compendiariam viam eſſe, et ad Eccleſiarum conciliationem, et ad comparandum ſibi ſuisque peregrinis hoſpitia. Actum Stutgardiæ 25. Maij A°. 56.* Ad editam de hoc *Colloquio* Relationem reſpondit *Laſcus* a. 1557. *Purgatione Miniſtrorum in Eccleſiis peregrinis Francofurti* &c. *foll.* 7.

VIII. *Philippi Melanchthonis* Judicium de *Concilio generali* cum Criſi in priora aliquot Decreta *Tridentini* germanice. Incipit: *Ich wil kürtzlichen meyne einfeltige vnd warhaftige meinung von Concilio anzeigen. Alle Chriſtliche potentaten k. M^t. könige vnd fürſten, ſindt gott dieſen dinſt vnd werck ſchuldich* &c. Videtur excerptum ex majori Opere. *foll.* 2.

IX. *Imago ſomnii D. Philippi.* Melanchthonis certo. Elegia diſtichorum 18. cujus initium:

Aiacem vidi ſtantem, iuuenilia membra
Qui fului indutus pelle Leonis erat.